

Contareni Epistola

De Iustificatione

Quoniam in omni disputatione primum oportet disquirere, ac plane percipere, quidnam significant vocabula, quibus utimur in disputatione, praesertim cum eorum multiplicitas et aequivocatio facile possit confundere, ac invertere totius rei significationem: idcirco primum explicabimus quidnam significet iustificatio, deinde quid significet fides, quoniam tota huiusce causae disquisitio pendet ex illustratione horum nominum. Iustificari igitur nihil aliud est, quam iustum fieri, ac propterea etiam haberi iustum. Iustitia autem multis modis sumitur. Nam et particularis quaedam virtus, quae dirigit operationes ac actiones nostras ad alios quoscunque, qua tribuitur unicuique quod suum est, iustitia appellatur; cuius obiectum est iustum et aequum. Item iustitia est universalis quaedam virtus, quae dirigit actiones uniuscuiusque ad bonum commune, quod praecipue continetur in legibus servandis, quamobrem appellata est etiam iustitia legalis. De utraque iustitia ample et diffuse Aristoteles tractat in quinto Ethicorum. Verum nos hic non loquimur de duabus his iustitiis, cum dicimus hominem iustificari, amplius quiddam dicimus et augustius. Praeter hos duos iustitiae modos, est quoque aliud iustitiae genus, de qua amplissime tractat Plato in decem libris quos inscripsit de iusto, qui etiam Politia Platonis dici solent. Aristoteles vero tangit tantum hoc iustitiae genus in quinto Ethicorum, quam appellat iustitiam metaphorice dictam. Haec iustitia consituta est in animi nostri viribus, quae quamvis sint eiusdem animi, ac propterea in eis nequeat esse iustitia proprie dicta, quae est virtus ad alterum: quoniam tamen aliae inter se sunt hae animi vires, et unicuique earum debetur certus quidam modus ad alias sui compares vires, qui si pervertatur, iam non tribuitur unicuique animi partium quod suum est; ac ideo iustitiae invicem se habent, tunc iustitia in eis erit, cum unaquaeque perstiterit in modo sibi a natura praestituto, ut scilicet ratio imperet, inferiores vero animi vires pareant rationi, ac ratio recta sit. Haec iustitia parens est virtutum omnium, et ampliori modo virtus quam priores duae. Haec est animi sanitas, ex hac virum bonum appellare solemus iustum. Hic modus iustitiae est humanus, facit hominem bonum, ut homo est, ut rationalis est, et idcirco in nostra inquisitione iustificationis, de qua loquimur, non tantum duo illi priores iustitiae modi non satisfaciunt, sed neque hic tertius satis est, amplius quidpiam quaerimus. Nam non quaerimus iustitiam illam, quae tantum deceat homines, sed quaerimus iustitiam et bonitatem, quae deceat filios Dei, cuius adoptionem assequimur per Christum, ut vocemur et simus filii Dei, ut simus consortes divinae naturae. Haec ergo bonitas, haec animi iustitia, quae filios Dei deceat, appellatur iustitia Christiana; hac iustificamur in conspectu Dei, prioribus illis iustificamur coram hominibus. Huius rei exemplum commode possumus capere ex hominum vita, et consuetudine. Sit quispiam rusticus, cuius genus vixerit semper ruri, habeat hic filios, eosque erudiat ut rusticus moribus ruris, ac bene et diligenter instituat, utique si adolescens ita institutus fiat civis, fiat

principi familiaris, et aulicus in gratiam regii filii, mores utique priores illi pertinent ad urbanitatem et ingenuitatem rustici, longe tamen inferiores sunt, et degenerant a moribus, qui exiguntur a cive, ac praesertim a familiari regis. Sic humanae illae iustitiae, quae homini conveniunt, longe inferiores sunt hac iustitia, quae exigitur a filiis Dei, a consortibus divinae naturae. Hactenus sufficiant ea, quae diximus de iustitia, Nunc accedamus ad aliud vocabulum, quod includitur in nomine iustificationis, quod est fieri iustum. Dicamus ergo quod fieri et facere, quo ad propositum negotium pertinet, duobus modis accipitur. Nam dicimus albedinem facere parietem album, dicimus etiam linitionem pictoris facere parietem album: Eadem propemodum ratione dicimus sanitatem facere hominem sanum, Item dicimus medicationem facere hominem sanum. Differunt hi duo modi, nam albedo facit parietem album, ut forma inhaerens parieti, et sanitas facit hominem sanum, ut forma corpori inhaerens. Quare dicemus hanc, ut ita dicam, factionem esse formalem, et dicemus formaliter facere; Linitio vero facit parietem album, ut actio pictoris, ideoque efficienter; Sic dicemus medicationem efficienter facere hominem sanum. Accedamus his expositis de iustificatione ad fidem. Fides quoque multipliciter dicitur; Nam quandoque id quod creditur appellatur fides iuxta id quod continetur in Symbolo Athanasii. Haec est fides Catholica, quam nisi quisque crediderit, etc. Quandoque habitus ille quo credimus his quae tradita sunt a Deo, appellatur fides: Interdum actus ipse quo credimus, consuevit appellari fides; qui actus quamvis sit elicited ab intellectu, est tamen imperatus a voluntate; Iccirco Apostolus dicit, Ad obediendum fidei. Credimus etenim quia volumus Deo obedire. Fides etiam appellatur fiducia, quia confidimus promissioni nobis factae a quocunque. Hoc modo dicimus, fidem servare et fidem frangere. Hanc Cicero in primo de officiis inquit dictam fuisse, quasi qua fiat quod dictum est, et ponit fidem hanc partem iustitiae. Sic inter tria matrimonii bona ponitur maritalis fides, qua uterque coniugum sibi invicem dant fidem, promissioni alterius vicissim credit et confidit. Verum nos contrahamus hanc fidem ad promissionem divinam, quae est in Deo quatenus promissa servat; Sic in Psalmo: Fidelis Deus in omnibus verbis suis, sic apud Paulum: Nunquid eorum iniquitas fidem Dei evacuavit? In nobis vero est haec fides, prout fidimus promissioni divinae. Haec fidei significatio pro fiducia, coniuncta est significationi spei, quamvis spes proprie respiciat futura, fiducia vero etiam praesentia et praeterita, attamen propinqua est haec fiducia spei. Quamobrem saepenumero una pro altera sumitur. Damascenus in quarto libro inquit, fidem duobus modis accipi, quorum alterum dicit esse assensum, alterum vero dicit esse spem eorum, quae sunt nobis promissa; et ad hunc posteriorem modum refert definitionem fidei datam ab Apostolo in Epistola ad Hebraeos, cum dicit fidem esse substantiam sperandarum rerum, etc. Ex Apostolo Paulo in pluribus locis habemus hanc acceptionem fidei pro confidentia, sufficiat nunc unus in Epistola ad Romanos, cum loqueretur de Abraam, cuius exemplo maxime nititur Apostolus; inquit, Non infirmatus est diffidentia, sed confortatus est fide. Ecce

opposit diffidentiae fidem, id est, confidentiam. His discussis, quae si quispiam non bene intellexerit, totam hanc, quam agimus, rem, non recte percipiet. Addamus quod iustificari seu iustum fieri; sumptum etiam efficienter (ut supra diximus) potest adhuc accipi duobus modis, proprie scilicet, cum quis ex iniusto efficitur iustus minus etiam proprie, cum quispiam fit iustior, et ex minori iustitia proficit, in maiorem iustitiam; qua ratione dicimus etiam duobus modis quidpiam calefieri. Nunc tempus est ut accedamus ad explicationem iustificationis, ac primum de iustificatione ea, qua impius adultus ex iniusto fit iustus. Haec iustificatio, si quaeritur de causa eius efficiente, nulli dubium est, quin sit a spiritu sancto, Nam Deus solus remittit peccata, Deus dat gratiam, Deus iustificat impium. Modus autem, quo spiritus sanctus hoc efficit, est motus etiam inspiratio, qua eius intellectum illustrat, et voluntatem movet, hic etenim est modus, quo homo agit quidpiam ut homo est, ut scilicet id agat sponte et voluntarie. Movet autem spiritus sanctus hominis voluntatem, convertendo eam ad Deum, et hac ratione praeparatur cor a Domino, et homo praeparat se, quatenus ea conversio est voluntaria, nullo pacto coacta; verum quoniam nequit ad Dominum quispiam voluntarie converti; nisi avertatur ab impietate, et a peccato, sicuti contingit in quocunque motu, nam in quovis receditur a contrario, ut perveniat ad alterum contrarium. Iccirco primum hominis voluntas recedit a peccato, relinquit impietatem, per detestationem impietatis, et peccati, erigit deinde se ad Deum, ad quem revertitur. Primus hic animi motus, ut inquit beatus Thomas, et ratione evidentissima colligi potest, est motus fidei, quem motum seu actum appellamus fidem. Hic autem motus incipit a voluntate, quae obediens Deo et fidei, efficit ut intellectus assentiatur absque haesitatione traditis a Deo, et ideo promissionibus divinis confidat, et concipiat ex illis firmam fiduciam, quae pertinet ad voluntatem, ut quasi circulo quodam incipiat a voluntate haec fides, et desinat in voluntatem. Promissio autem Dei, cui firmiter credit, ac propterea fiduciam concipit, est (ut inquit beatus Thomas in prima secundae.) Quod Deus remittat peccata, et iustificet impium per mysterium Christi. Ipse enim est factus auctor salutis omnibus credentibus in eum. Motus ergo hic fidei post destinationem peccati erigit mentem ad Deum, atque animum ad ipsum convertit, quem conversum, Deus, infudens spiritum suum sanat, sanctificat, iustificat, adoptat in filium per spiritum filii sui, per quem diffusum in cordibus nostris clamamus Abba pater. Insuper donat nobis cum spiritu Christi, Christum ipsum et omnem iustitiam eius gratis ex ipsius misericordia nostram facit, nobis imputat, qui induimus Christum. Interim vero dum animus ita praeparatur a Domino, et se ipse praeparat, quando haec praeparatio non fiat momento temporis, praeterquam miraculo quodam, ut accidit Paulo Apostolo, si adsit occasio, operatur bona, et cavet a malo is qui convertitur. Nihilominus non redditur iustificatio et sanctificatio operibus, ut Paulus inquit, ut in locis innumeris dicit beatus Augustinus, et Thomas in prima secundae expresse, sed debetur fidei, non quod mereamur iustificationem per fidem et quia credimus, sed quia accipimus eam per fidem, Sic

enim inquit Apostolus in Epistola ad Galatas. Accipientes pollicitationem spiritus per fidem. Item in Epistola ad Romanos, per quem habemus accessum in hanc gratiam per fidem. In Epistola ad Hebraeos, Accedentem ad Deum oportet credere, eo quod credendo accedimus ad hunc accessum. Hanc acceptionem ab Apostolo dictam beatus Thomas in tertia parte appellat applicationem inquit passionem Christi esse veluti medicinam communem, quam quisque sibi applicat per fidem, et Sacramenta fidei. Hi protestantes appellant apprehensionem non ea significatione, quam tu in literis ad me datis arbitraris, quae scilicet pertinet ad cognitionem intellectus, sed significatione superius dicta, qua scilicet illud dicimus apprehendere quo pervenimus et quod post motum nostrum attingimus. Attingimus autem ad duplicem iustitiam, alteram nobis inhaerentem, qua incipimus esse iusti; et efficimur consortes divinae naturae; et habemus Charitatem diffusam in cordibus nostris; alteram vero non inhaerentem, sed nobis donatam cum Christo, iustitiam inquam Christi, et omne eius meritum; simul tempore utraque nobis donatur, et utramque attingimus per fidem. Utra vero sit natura prior, potius pertinet ad disputationes scholasticas, quam ad negotium fidei de quo agimus; ideo in aliud tempus differemus, sicuti etiam differimus aliam controversiam, quae offerri nobis possit, utrum scilicet sit natura prior remissio peccatorum et reconciliatio cum Deo, an infusio gratiae: Si quando inciderit locus magis opportunus dicam quid in utraque sentiam, nunc utraque omittatur. Quod autem Deus donaverit nobis Christum et omnia cum eo, est textus Apostoli expressus in Epistola ad Romanos, Qui filio suo non pepercit, nonne omnia nobis donavit cum illo? Item filius natus est nobis, et filius datus est nobis. In Missa, cum Christum Deo offerimus, nonne dicimus in canone, Tibi offerimus de tuis donis et datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam. Beatus pater Augustinus in pluribus locis, sed unus nunc in mentem venit, nescio an sit in soliloquiis aut in meditationibus. Quicquid mihi deest, inquit bonus ille pater, usurpo mihi ex visceribus Domini mei. His hactenus discussis, quibus reor nullum posse contradicere, discutiamus propositionem propositam. Fide iustificamur, non formaliter, quod scilicet fides inhaerens nobis efficiat nos iustos, sicuti albedo efficit parietem album, aut sanitas hominem sanum. Nam hoc pacto Charitas et gratia Dei nobis inhaerens et iustitia Christi nobis donata et imputata effecit nos iustos, neque per fidem intelligimus habitum, ut superius diximus, sed actum. Sed vera est propositio, si capiatur efficienter, sicuti linitio effecit parietem album, et medicatio efficit sanum; sic, vel non dissimili ratione, fides efficit hominem iustum, et iustificat, quia per fidem attingimus ad utramque iustitiam: et quoniam motus omnis est imperfectus nisi perveniat ad terminum, iccirco etiam motus fidei, nisi perveniat ad Charitatem, quam adipiscimur, est imperfectus. Iccirco fides quae iustificat, est fides formata per charitatem, seu efficax per charitatem, ad quam nisi pervenerit est inefficax ad iustificationem, sicuti si diceremus, ea medicatio efficit sanitatem, quae pervenit ad sanitatem, et illa est efficax per sanitatem, quamobrem potest etiam

appellari sanatio. Hactenus dicta satis esse videri possunt quoad iustificationem nostram, quae mihi adeo perspicua esse videntur, ut nihil reliquum sit, in quo quis haesitare queat. Verum quoniam diximus ad duplicem iustitiam nos pervenire per fidem, iustitiam inquam inhaerentem nobis, et charitatem, ac gratiam qua efficimur consortes divinae naturae, et iustitiam Christi nobis donatam et imputatam, quoniam inserti sumus Christo et induimus Christum; Restat inquirere utra nam debeamus niti, et existimare nos iustificari coram Deo, id est, sanctos et iustos haberi; ea inquam iustitia, quae deceat filios Dei, ac oculis Dei satisfaciat, an hac iustitia et charitate nobis inhaerente, an potius iustitia Christi nobis donata et imputata? Ego prorsus existimo pie et Christiane dici, quod debeamus niti, niti inquam tanquam re stabili; quae certo nos sustentat, iustitia Christi nobis donata, non autem sanctitate et gratia nobis inhaerente. Haec etenim nostra iustitia est inchoata et imperfecta, quae tueri nos non potest, quin in multis offendamus, quin assidue peccemus, ac propterea indigeamus oratione, qua quotidie petamus dimitti nobis debita nostra. Iccirco in conspectu Dei non possumus ob hanc iustitiam nostram haberi iusti et boni, quemadmodum deceret filios Dei esse bonos et sanctos, sed iustitia Christi nobis donata est vera et perfecta iustitia, quae omnino placet oculis Dei, in qua nihil est quod Deum offendat, quod Deo non summopere placeat. Hac ergo sola, certa, et stabili nobis nitendum est, et ob eam solam credere, nos iustificari coram Deo, id est, iustos haberi et dici iustos. Hic est pretiosus ille Christianorum thesaurus, quem qui invenit, vendit omnia quae habet ut emat illum. Haec est pretiosa margarita, quam qui invenit, omnia linquit, ut eam habeat. Dicit Apostolus Paulus, Omnia alia detrimenta putavi ut Christum lucrifacerem, non habens iustitiam meam, sed eam, quae est per fidem Christi: Illis vero qui nituntur Sanctitate sua dicitur in Apocalypsi: Quia tepidus es incipiam te evomere ex ore meo; dicis enim dives sum, nullius egeo, et non vides nuditatem tuam, etc., et alibi. Item in Apocalypsi: Dabo tibi calculum novum, in quo est nomen scriptum quod nemo scit nisi qui accipit. Hoc nomen est nomen Christi, et vere nullus scit nisi qui accipit. Inde est quod experimento videmus viros sanctos, qui quanto magis in sanctitate proficiunt, tanto minus sibi placent: ac propterea tanto magis intelligunt se indigere Christo, et iustitia Christi sibi donata, ideoque se relinquunt, et soli Christo incumbunt. Hoc non ob eam accidit causam, quod facti sanctiores minus videant quam prius, neque quoniam facti sint animo dimissiori et viliori, imo quanto magis in sanctitate proficiunt, tanto maiori sunt animo, tanto sunt perspicaciores. Quamobrem facti perspicaciores magis intuentur sanctitatis et iustitiae ipsis inhaerentis tenuitatem, cum qua perspiciunt multas maculas, quae eorum oculos factos perspicaciores magis offendunt, ac propterea re ipsa cognoscunt, non sibi nitendum esse sanctitate, charitate, et gratia sibi inhaerente; sed confugiendum sibi esse ad Christum et ad gratiam Christi ipsis donatam, qua nitantur et incumbant. Repetamus exemplum quod supra adduximus de Rustico, qui in gratiam filii Regis, factus sit civis et aulicus regis, et qui iam coeperit imbui moribus regiis: utique hic

cum in eo maneant vestigia ruris, quamvis coeperit institui moribus regiis, nihilominus regi non placet, multa in eo sunt quae Regem offendant, nihilominus habet eum ut aulicum et familiarem ob gratiam et merita filii; quae rustico illi donavit. Dicit beatus Thomas cum loquitur de baptismatis Sacramento, quod eo abluuntur omnia peccata et omnis reatus culpae et poenae cuiuscunque, et reddit rationem, eo quod unusquisque baptizatur in mortem Christi, et cum eo sepelitur, ut inquit Apostolus. Iccirco ita se habet baptizatus, acsi ipse gerens personam Christi mortuus fuisset, passus et consepultus cum Christo, et cum Christo resurrexisset in novam vitam. Ecce quam praeclare dicit doctissimus pariter ac sanctissimus vir, mortem Christi, passionem ac meritum nobis donari, nobis imputari in baptisate, quod est fidei Sacramentum, non quod nobis inhaereant, qui iam vivimus, sed quia nobis donantur et imputantur. Credo satis illustratum fuisse hactenus locum de iustificatione apud Deum, utra debeamus niti; niti inquam, an iustitia nobis inhaerente, an iustitia Christi nobis donata et imputata. At dices, quod auctoritates illae quas adduxi in meis literis, huic videntur sententiae obstare. Prima est David in psalmo decimo septimo; Iudica me domine secundum iustitiam meam, et secundum innocentiam meam, secundum puritatem manuum mearum, quia custodivi vias domini, nec impie gessi a Deo meo, quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo, et iustitias eius non repuli a me. Ecce quam clare inquirunt hi qui ad pauca respiciunt, quod David innititur suae iustitiae et innocentiae suae. Certe si David ea intellexisset quae hi intelligunt, ita quod propterea putasset se iustificatum coram Deo, non tantum haec quae dicit essent dicta arroganter et superbe, ac propterea magis reprehendenda, quam oratio Pharisaei in Evangelio, qui longe minora de se dicit, sed essent mera mendacia. Quo etenim pacto (ut relinquam quotidiana peccata) is qui fuerat adulter, qui propinquissimum sibi amicum interfecerat, ut uxore eius potiretur, potuit vere dicere, quod non impie gessisset a Deo suo, quod habuerit omnia iudicia eius in conspectu suo, et caetera quae ibi dicuntur. Ideo ne impingamus hanc arrogantiam, haec mendacia mansuetissimo et mitissimo regi, propius accedamus, et bene eius sensum perspiciamus. Psalmum illum decimum septimum David composuit et et cecinit, ut ex titulo psalmi comprehenditur, post debellatos eius hostes, quorum praecipui fuerunt Saul et Absalon, quos David semper humaniter tractavit, nihil unquam contra ipsos est machinatus, quin potius in potestatem eius traditos servavit, utriusque interitum magno animi dolori accepit. Iccirco omnia quae dicuntur in eo psalmo ad hos eius hostes sunt dirigenda, id est, ad eius benemerita, et ad omnia eius opera erga ipsos, non autem ad suam Iustitiam inhaerentem ipsi coram Deo, et in conspectu oculorum eius. Haec sententia plana est, in qua nullus haerere potest. At cum secum ipse loquitur David, et ad animam suam verba facit, advertite quid dicat: Benedic anima mea domino, et noli oblivisci omnes retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui coronat te in miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum, quoniam miseretur pater filiorum, misertus est

Dominus timentibus se, quanto distat ortus ab occidente longe fecit a nobis iniquitates nostras, etc. Confer haec, te oro, cum his quae adducis de psalmo decimoseptimo, et videbis quantum distant. Apertissima ergo est sententia in qua convenerunt. Alius locus qui citatur, Haec erit iustitia nostra si custodierimus praecepta haec omnia; nihil facit contra nostram sententiam. Nam verum est quod iustitia nostra, humana inquam, et quae est iustitia legalis, de qua diximus supra, est custodire praecepta legis, et quamvis, ut supra diximus, augustiorem quandam quaeramus, quae deceat filios Dei; nihilominus, ut inquit Paulus Apostolus, cum nullus servet omnia praecepta legis, quantum pertinet ad iustitiam legis, omnes sumus sub maledicto, iuxta illud; Maledictus qui non permanet in omnibus verbis legis huius, quia nullus servat omnia praecepta legis praesertim praeceptum de charitate quantum ad motum animi interiorem, ac ideo omnes indigemus Christo, per quem adipiscimur gratiam et charitatem, qua inferiori quodam modo incipimus legem servare; ac insuper omnis eius iustitia attribuitur nobis, quicumque Christum induimus. Alius locus, quem adducis, erat, Habebitur pro iustitia coram Domino reddere pauperi depositum. Nulli dubium quin pertineat ad iustitiam virtutem illam particularem, de qua diximus superius, reddere depositum non tantum pauperi sed cuicumque. Sed quoniam pauper magis indiget, si non reddatur maior fit iniuria, et iniustitia maior est; ac propterea hortatur nos spiritus sanctus ad illam iustitiam. Non ob id tamen sumus iustificati coram Deo, secundum eam rationem et modum, quem supra attulimus. Nam si reddere depositum pauperi sufficeret ad eam iustificationem, multi Iudaei, complures Mahumetani essent iustificati coram Deo; Etenim eorum multi ita sunt instituti, quod nunquam detinerent depositum sibi creditum. Sic de Phinees dicendum. Mihi videntur hi loci adducti esse adeo perspicui, quod nullam dubitationem facere possint in sententia ea, in qua Catholici et protestantes convenerunt, et quod non satis recte intelligantur ab his, qui eis nituntur. Abunde reor hucusque dictum a nobis fuisse de iustificatione illa, qua ex impio quispiam adultus efficitur iustus. Verum quoniam est et alius iustificationis modus, quo quispiam ex iusto fit iustior, sicuti calefieri etiam is dicitur, qui ex minus calido fit calidior, secundum quem modum dicitur in Apocalypsi, Qui iustus est, iustificetur adhuc; idcirco ut universa ratio iustificationis intelligatur, pauca addemus de hoc iustificationis genere. Unumquodque animal seu planta, quam natura aedit in lucem ac generat, quamvis generatione speciem quampiam seu naturam sortita sit, non tamen in eo gradu sistit, in quo sortita est naturam et speciem animalis, sed progressum quemdam habet, donec perveniat ad perfectum illius naturae statum. Sic homo, sic aves, sic terrestria et aquatica animalia non sistunt in ea magnitudine et infirmitate membrorum in qua nata sunt, sed continenter feruntur ad perfectionem, quam eius natura praestituit, aut obeant necesse est. Pari ratione qui per fidem adeptus est charitatem et spiritum Christi, et factus est nova creatura in Christo Iesu, si voluerit sistere in eo gradu, in quo spiritualiter natus est, nec ulterius progredi: nulli dubium, quin brevi temporis spacio relabatur in

deterius, ac perdat spiritum quem acceperat, ac utramque iustitiam amittat. Nam nullus sibi usurpare potest iustitiam Christi qui non habeat spiritum Christi, et non vivat in Christo. Progrediendum est ergo nobis omnibus, ac in anteriora tendendum; nam si brachia forte remisit, atque illum in praeceps pronorapit alveus amni. Progressus hic fit per bona opera interna et externa, quae cum sint a charitate et a spiritu Dei, augent etiam charitatem. Etenim sicuti principium generationis uniuscuiusque rei est extrinsecum; nihil etenim seipsum generat, ita augmenti principium est extrinsecum, omne namque animal ab anima sua augetur. Charitas ergo inhaerens, spiritus Christi, gratia quae ab eo semper fovetur, et emanat a plenitudine gratiae eius, Christi inquam, otiosa esse non potest. sed vel internis meditationibus atque orationibus se exercet, vel externis operibus piis. Hinc augetur charitas et gratia, quae etiam augent fidem, nam magis credimus et fidimus ei quem magis amamus, sicque magis ac magis iustificamur. Idcirco, ut supra citavimus, in Apocalypsi dicit spiritus sanctus, Qui iustus est iustificetur adhuc. Haec iustificatio potest dici fieri ex operibus, et potest appellari iustificatio operum. Prior vero, quia quis efficitur nova creatura in Christo, non debetur operibus nostris, sed spiritui sancto, qui movet corda nostra, removendo ea a vita peccati, et per fidem erigendo ad Deum per Christum, donec fiat compos charitatis et gratiae, ut superius late exposuimus. Ex operibus tamen quae sequuntur ostenditur haec iustificatio, et haec fides perfecta, seu formata et efficax per charitatem, ut dicit Iacobus in sua Epistola. Nam si opera bona non sequantur, imperfecta fuit fides illa et inanis. In his ergo bonis operibus ambulamus, ut inquit beatus Paulus, et sic fit certa nostra vocatio, ut inquit Petrus. Quoniam eis magis iustificamur, et ad perfectum tendimus, quae si intermittimus, regredimur. Nam in via domini non progredi est regredi, et tandem praecipitem labi. Ideo ex operibus qui dicunt nos iustificari, verum dicunt, et qui dicunt nos iustificari non ex operibus, sed per fidem, verum etiam dicunt. Sed ut recte intelligatur utrumque, oportet rem totam bene explicare et illustrare: est etenim satis involuta et obsita. Dedimus nos operam in hac Epistola, quantum potuimus adhibere, ut ea evolveremus et illustra efficeremus. An vero assecuti fuerimus, cum reverendissimi et illustrissimi Cardinalis Mantuani patroni tui, quem scis quantopere observem, tum etiam tuum erit iudicium. Bene vale in domino. Ratisponae XXV Maii MDXLI.

Note:

This text follows the version printed at Paris in the 1571 edition of *Gasparis Contareni Cardinalis Opera*.